



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 13. An duellum est aliquando licitum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

bitâ diligentîâ debitâ ad ea præcavenda. Vide dicta q. 10. cap. 3.

Q. 13. *An duellum est aliquando licitum?*

Not. Duellum propriè est duorum, vel paucorum certamen, in certo loco, & tempore designato, cum vitæ vel mutilationis periculo, ex mutuo consensu in itinere auctoritate privata. Dico *privatâ*, nam pugna Paucorum, quæ auctoritate Principis in bello justo cum hoste suscipitur ob bonum commune, non est strictè duellum, & juxta multos potest quandoque esse licita, ut 1. Si suscipiatur ad justum bellum conficiendum; quia paucorum pugna non est minùs licita, quam pugna generalis, imò potius est eligibilis, in quantum paucorum sanguine finitur bellum, vitanturque cædes, & damna majora; modo tamen per hoc non redigatur victoria ad statum magis dubium, quàm per pugnam generalem: alioqui Princeps peccaret contra justitiam in subditos, spem victoriæ ferè certam commutando cum incerto eventu duelli. 2. Si tempore belli videatur necessaria ad debilitandos hostium animos, suorum erigendos, & ad victoriam faciliùs consequendam, &c. Nam sicut in bello justo ob bonum commune auctoritate Principis licita est pugna inter multos, ita & inter paucos. Sic David auctoritate Saulis pugnavit cum Goliath.

Illicita tamen esset pugna inter duos vel

Q 3

pau-

paucos milites, licet cum consensu Principum, ad delectationem quamdam, vel vanam ostentationem, aut privatam illorum vindictam; quia Principes non habent dominium vite suorum subditorum, sed solum convenientem usum ad bonum commune: unde non possunt eam exponere ob finem vanum, nec necessarium bono communi.

Resp. Duellum, quod fit auctoritate privata, semper est mortale & intrinsecè malum, nec unquam licet illud offerre, vel acceptare. *Ita omnes.* Quia 1. Deus solus habet dominium vite hominis: ergo non licet eam destruere, nec illius destruendæ periculo se exponere sine auctoritate Dei, qui hanc non dedit privatis, nisi ad necessariam vite propriæ defensionem; nam destructio rei propriæ auctoritate facta actus est Domini in illam. Præterea occidere alterum non est modus satisfaciendi, sed est mera vindicta; nam est ei nocere, absque eo quod nobis aliquid emolumenti eveniat. Ergo duellum omne graviter repugnat juri naturali divino. Quare Conc. Trident. sess. 25. cap. 19. ait: *Detestabilem duellorum usum, fabricante diabolo introductam esse, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lacretur.* 2. Graviter etiam prohibetur jure tum Ecclesiastico, cap. 1. de Torneam. ex Conc. Later. & cap. 1. de Purgat. vulgari, & Trident. cap. ult. tum civili necque Principum edictis. Quare duellum quodlibet etiam privatam

vatum

vatum repugnat omni iuri, atque etiam specialiter charitati propriae, & proximi, cum duellantium vita, & salus æterna morali periculo exponantur.

Adde quòd duellum fiat vel ad indagandam veritatem, aut ad iustitiam, ac innocentiam probandam; & tunc crudelitati additur superstitio: nam hoc medium fallax est, & inproportionatum, cum innocens possit perinde occidi, ac reus. Vel ob inimicitias, & ad iniuriam vindicandam: at vindicta nunquam licita est privata auctoritate, imò nec publicâ cum æquali periculo iniuriam passî. Dices duellum necessarium est, ad vitandam ignominiam, seu ignavia notam, quæ contrahitur si duellum non acceptetur, vel iniuria accepta non vindicetur.

Resp. Hæc est falsa ignominia; nam apud Deum, & homines verè sapientes, ac probos, in quorum existimatione vera fama consistit, nullam incurrit ignominiam, sed magnam gloriam acquirit, qui ut divinis, humanisque legibus duellum vetantibus pareat, duellum injuria affectus non offert, nec provocatus acceptat. Neque enim dedecus est, sed ingens honor, ac gloria virtutem, & præsertim charitatem, ac fortitudinem, seipsum, & iram vincendo, exercere, Christi mansuetudinem, ac patientiam imitari, quippe *Gloria magna est sequi Dominum*, Eccli. 23. Nam Dei præceptum, & virtus est sola regula veri honoris. Nec

vir sapiens falsis improborum hominum iudiciis, sed recta ratione, & fide divina duci debet.

Præterea qualiscumque sit illa apprehensa ignominia, quæ ex solo perverso mundanorum hominum iudicio sequitur, est prorsus contemnenda, ne amittatur gloria Cælestis, ac Felicitas æterna, & contrahatur ignominia æterna ac summa infelicitas. Neq; enim ad ignominiam, quæcunque illa sit, vitandam licet vitam alterius, ac propriam periculo committere, contra legem divinam vetantem vitæ propriæ, & alienæ destructionem, & proinde ejus periculum; nam solus Deus est Dominus vitæ hominum, & vita est superioris ordinis, quàm honor, & fama. Hinc Alex. VII. damnavit hanc propos. *Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

Porro non licet provocato horâ condictâ ad locum certaminis se conferre, etsi non animo duellandi, sed se defendendi contra provocantem, si ab ipso oppugnetur: quia in his circumstantiis esset directè se exponere periculo vitam alienam destruendi, vel propriam amittendi, & alteri occasionem proximam aggradiendi præbere. Imò moraliter, ac in æstimatione prudenti, & æquivalenter esset duellum acceptare. Nec dic acceptationem duelli esse defensionem. Nam defensio solum habet locum, dum ab actuali aggressore

vis

vis vi repellitur cum debita moderatione. Præterea ipsa acceptatio est etiam aggressio, nam qui acceptat, vult aggredi adversarium, & in ipsum invadit.

Q. 14. Quenam sunt pœne duelli?

Resp. Conc. Trident. sess. 25. c. 19. ipso facto excommunicat 1. Principes, ac Dominos temporales, qui in suis terris locum aliquem ad ejusmodi pugnam concesserint. 2. Suasores & spectatores duelli. 3. Ipsos pugnantes, & qui eorum patrini vocantur cum proscriptione bonorum, perpetua infamia, & pœnis homicidarum; & si in conflictu decesserint, privatione Ecclesiasticæ sepulturæ. Greg. vero XIII. constit. 78. & Clemens VIII. Constit. *Illius vices*, pœnas illas extenderunt ad duella privata, seu non solemnia, hoc est, in loco non tuto, nec publicè commissa, & absque patrinis sociisque; imò ad provocantem, & acceptantem, etiamsi pugnam ob aliquod impedimentum non commiserint, si ad locum accesserint pugnaturi, & per eos non steterit, quominus pugnarent. Item Clemens VIII. hanc excommunicationem Papæ reservavit, & hanc cum aliis pœnis supradictis extendit etiam ad suadentes, vel provocantes, ad spectatores, ad scribentes, mittentes, ac divulgantes chartulas provocatorias, eorumque fautores, & complices, ad eos, qui ad duellum arma, equos, commeatus, vel con-

Q 5

filium,